Allacci, Leone; Fabricius, Johann Albert [Hrsg.]: Leonis Allatii De Libris Ecclesiasticis Graecorum, Dissertationes Duae: Quarum unâ, Divinorum Officiorum potiores usitatioresque Libri percensentur: altera Triodium, Pentecostarium & Paracletice examinantur
Hamburg, 1722 Seite 50

cat. Differt ab aliis Græcorum libris Ecclesiasticis, quod in aliis certa sunt certis diebus decreta Officia, Canones, seu Troparia, quæ recitari solent, quibus finitis reponuntur, donec eadem tempora remeent, cum rursum ad recitandum suscipiuntur: ut Triodion, quod Quadrageſimæ præcipue Officia: Pentecostarium, quod a die Resurrectionis ad Pentecostem: Menæa, quæ singulis mensibus. Paracleticus tantum semper præ manu est, & omnibus diebus aliquid in eo invenitur quod sive in Missa, sive in Vesperis, sive in Matutino, sive in aliis Officiis recitatur. Quando enim in aliis Officiis propria desiderantur, quæ ad complementum Officii pertineant, ad hunc lector remittitur. Dicitur, ut puto, παρακλητικὸς, *Paracleticus*, quasi *Consolatorius*. Videntur enim omnia quæ in eo sunt, eo maxime spectare, ut peccatorem consolentur, hortentur, & quasi vi quadam compellant, ut de commisſis pœnitentiam agat, & DEum quem peccando offenderat, pœnitentia ac precibus sibi propitium reddat.
69 Hinc modo Angelorum opem, modo Apostolorum, modo Martyrum, modo Confessorum, aliorumque Sanctorum, prout diei cujus Officium recitatur, ratio exposcit. Unde etiam Paracleticus dici potuit, quasi *Invocatorius*, vel *Imploratorius*. Dividitur in octo partes, quos Græci ἤχους appellant. Uno nempe Echo Officia unius hebdomadis implentur, altero subsequentis, & sic de singulis, quibus finitis, denuo ab initio exordiuntur: & sic perpetuo isto circulo materiam DEum laudandi perpetuam sibi & nunquam deficientem suppeditant. Differt ab Octoecho, quod ille tantummodo, ut diximus, a primis Vesperis ad Missam Canones & Troparia continet, Paracletice & illa, & multo plura, cum & subsequentes Vesperas, & aliorum dierum inter hebdomadem Officia integra exhibet. Ingens, sed apprime necessarium, & defectus aliorum supplens volumen. Qvænam vero in eo continentur, brevibus exponit Joannes Nathanael epistola ad Metrophanem Patriarcham Constantinopolitanum libro præfixa, ne ipse ea referendo longior sim.

IX. Nonus est Τριῴδιον, *Triodium*, e) e Cantionum; sive

e) Videndus de Triodio præter Cangium, Svicerum & Caveum Baronius ad A. C. 842. n. 27.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/allacci1722/0057
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG